
TRIAS PARADOXORUM CHRONOLOGICORUM MAXIME ILLUSTRIUM, CIRCA VERAM MUNDI CONDITI EPOCHAM...

Christian Reinhart, Matthias Wedov,
Valenti Gonzaga





VIRO

Magnifico Maximè Strenuo & verè Nobili,

Dn. GEORGIO von Buchwaldt

Illustrissimi ac Celsissimi Principis ac Domini

DN. FRIDERICI,

Hæredis Norvvegiæ, Ducis Schlesvvigæ ac Holsatiæ, Stormariæ & Dithmarsiæ, Comitis in Oldenburg & Delmenhorst &c.

Principis ac Domini sui clementissimi,

CONSILIARIO gravissimo, ejusdemque VICARIO in Provincia Eiderostadensi, Everschop & Vdtholm eminentissimo,

Patrono ac Promotori suo Magno

debito observantiæ cultu honorando

Disputationem hanc Chronologicam

In qualecunque studiorum suorum indicium
Ut & Promotionis favorisq; incitamentum

Offert

MATTHIAS WEDOVIUS.



DUCE ET AUSPICE CHRISTO.

PRÆLOQUIUM.



E AUGUSTO, Imperatore illo verè augusto ac felicissimo, egregiè SVETONIUS, emendatissimus & candidissimus Scriptor, his refert verbis: Nihil autem minus in perfecto Duce quàm festinationem temeritatemq; convenire arbitrabatur. Crebro itaq; illa jactabat: Σπεῦδε βραδέως. Et: Sat celeriter fieri, quicquid fiat satis benè. *Quibus profectò, eximiè exponente Autore eximio GELLIO, Noctium illo Atticarum Scriptore gravissimo ac venustissimo, monere nil voluit aliud, quàm* ut ad rem agendam simul adhiberetur & industriæ celeritas & diligentiæ tarditas: ex quibus duobus contrariis fit maturitas. *Pulchrè namq; congrueq; apud HERODOTUM, Patrem illum Historiæ, in Polymnia Artabanus ad Xerxen, suum ex fratre nepotem:* Omnis res properando parit errorem, unde magna detrimenta fieri assolent; in cunctando autem bona insunt, si non talia, quæ statim videantur esse bona; certè, quæ suo tempore bona quis esse comperiat. *Nec profectò immeritò & absq; ratione. Qui enim rei administrandæ cuicunq; non tàm sedulitatem adhibere voluerit quàm celeritatem, nimioq; in ea expedienda & absolvenda duci festinandi studio, haud aliter atq;* Canes Ægyptii è Nilo *nunquam nisi currentes lambitare dicuntur; næ tardè is aut nunquam commodùm eam ad finem deducere, absolutamve rite & cum fructu fructuve saltem alicujus sensu dare poterit: quin potiùs turpi cum suscepti laboris frustratione, modò non cum dedecore non minimo, inexpeditam eam modis multis tandem abijcere cogetur & relinquere. Appositè namq; vereq; apud Historiæ Romanæ Scriptorem tersissimum Q. Fabius ad L. AEmilium consulem:* Omnia non properanti clara certaq; erunt; festinatio improvida est & cœca. *Nec inconcinè subtilissimus Subtilitatum Parens,* Hæret, *inquit,* circa id, quod occurrit, nec transmittit; sed ita hæret, ut circum versetur, quæratque aliquando veritatem, aliquando caussas intellectionis: Suspensus est in re proposita, propensus in quæstione. *Hæc autem omnia si ullibi probè sunt attendenda, sanè in studiis sublimioribus & obscurioribus, puta Mathematicis, ad unguem semper veniunt observanda, ne dum error evitatur levi'ulè unus, in alterum impingatur mox crassissimũ; dumq; negligentiâ liberari contingat, arrogantiæ detur accusari: Imprimis vigilantiam hanc sibi jure quasi vendicat ipsa CHRONOLOGIA, in qua tot ferè inveniuntur Sententiæ acceptatæ, quot vixère*

Lib. II. cap. 25.

Lib. 10. Noct. Attic, cap. 11.

Lib. VII. pag. 442.

I. Solinus Polyhist. cap. 25.

Liv. Lib. 22. ab. V.C p. 212.

Scal. Exercit. 312. p. 959.

Chronologi, quorum unius si defendantur placita, mox aliorum comitentur odia, sequantur improperia. Cautè igitur hic vel maximè & circumspectè est agendum, & Quæstionibus ita opera danda Chronologicis, ne collecta dicantur novitatis studio, sed selectæ potius ac publicatæ judicentur veritatis amore, quam jure rimantur sectanturq; suo quicunq;, congestaq; tandem deprehendantur sedulitatis labore, quam Reipub. debent omnes Literariæ, pauci præbent probantvè. Quæ quidem universa cùm diligentiùs aliquantò consideraremus, postquam non ita pridem, Duce Deo, comite Naturâ, *ingressi sumus campum controversiarum Chronologicarum amplissimum; equidem in contemplatione ipsius accuratiore hucusq; detineri maluimus ac latitare privata, quàm cum periculo seu novitatis seu falsitatis in publicum progredi: Certi, sat tempestivè communicari, quæ temere non procrastinantur; & forsitan demùm aliquando iri accepta, quæ nunc habentur suspecta & despecta. Interim ne proposito nostro videamur excidisse in universum, saltem jam tandem brevissimis controversias istas resumemus leviterq; duntaxat attingemus: Cumq; occupati antehac fuerimus in figenda Epocha cùm Mundana tùm Christiana; nunc, Divino adjuti auxilio, tres tantùm* Quæstiones, Epocham concernentes priorem, *brevissimè resolvemus, ac ostendemus* I. Ubi figendum sit verum Israeliticæ in Ægypto mansionis principium? II. Vnde computandi sint Exodi Israeliticæ Anni? III. Num Anni Libertatis Israeliticæ excludant Annos Servitutis, an includant? *Atq; eas quidem omnes more nostro iterum sub* Παραδόξων *inscriptione exhibebimus, exhibitasq; æquiori rectè judicantium censuræ subjiciemus.*
Dan. 2, 21. *Itaq; quod ille* מְהַשְׁנֵא עִדָּנַיָּא וְזִמְנַיָּא *secundet prosperetq; benignè, sit*

PARADOXUM I.

Anni morantium in Ægypto Israelitarum numerandi veniunt non à 75. Sed 85. ætatis Abrahami Anno.

THESIS I.

EPochâ nobis Mundanâ jam anteà fixâ certâque, deinceps in controversiis Chronologicis prospiciendum est sedulò, ut exinde ritè vereq; Anni numerentur elapsi quotcunq;, ne fundamento per se quidem solido sat firmoque, lubrica tamen minusq; cohærens superstruatur maceries, quæ simul ac absoluta leviterq; commota saltem fuerit, tota mox corruat pereatque.

II. Cum-

II. Cumq; Temp ora Chronologus rebus alligare debeat gestis, qvæ ex Historiæ, Veritatis nunciæ, magistris unicè sunt petendæ; Scriptum autem ante HERODOTUM, qvi qvinto circiter ante CHRISTUM natum floruit demum Seculo, *Scrinium illud*, CALVISIO judice, *originum Græcarum & Barbararum*, Sacrâ SCRIPTURA sive antiqvius, sive divinius quoq; certiusq; habeatur nullum: Sanè cuivis ultrò colligere haud est difficile, Scrupulos, si qvi sunt vetustiores, Chronologicos aliunde qvàm ex S. Literis, *fonte illo eruditæ & Sanctæ Antiqvitatis reconditæq; Veritatis amico*, feliciter utiliterq; resolví non posse. *In opere Chronol p.91, 2.f.*

III. Neq; verò controversia inter Chronologos exactiores movetur ulla de Annis à condito Mundo legitimè continuandis *sive antediluvianis, sive postdiluvianis & usq; ad Abrahamum acceptis*: Qvippè cùm utriq; hi ex ipsis *Geneseos* capitibus initialibus à qvovis, Arithmeticis initiis vel leviter imbuto, de facili qveant manifestè colligi. *Gen. 5. 7. 8. 9. 11. & 12.*

IV. *Illos* enim qvod spectat; eqvidem ex annis Adami usq; ad progenitum Sethum 130, Seti ad Enosum 105, Enosi ad Kenanum 90, Kenani ad Mahalaleëlem 70, Mahalaleëlis ad Jaredum 65, Jaredi ad Henochum 162, Henochi ad Mathusalemum 65, Mathusalemi ad Lamechum 187, Lamèchi ad Noachum 182, & Noachi ad Filios 500, indeq; ad immissum universale Diluviũ 100, nudâ duntaxat aggregatione *Anni statim à Mundi initio ad Diluvium resultant* 1656. *Gen. 5, 3. 6. 9. 12. 15. 18. 21. 25. 28. 32.* *Gen. 7, 6.*

V. Neq; enim computationi huic institutæ quicqvam derogare potest Sententia *Origani*, qvi primâ Opinione relictâ, alteram assumit, statuitq; *Annos ad Diluvii qvidem finem* 1656, *ad initium verò completos tantùm* 1655; qvoniam dicatur *Diluvium cœpisse anno* 600. *Vitæ Noachi Mense* 2. *Die* 17. *Mensis*: Quippè cùm eidem contradicat tùm Locus Scripturæ apertus, *Eratq;* 600 *Annorum, qvando diluvii aqvæ inundaverunt super Terram*; tùm universalis Chronologorum Regula, qvæ *in Scriptura ante Israëliticorum Regum inthronisationem annos ubiq; ponit urgetq; completos*. *Parte 1. Ephem. c. 1. p. 5.* *Gen. 7, 11.* *Gen. 7, 6.*

VI. *Hos* autem qvod concernit; sanè iterum ex Annis Semi à Diluvio usq; ad natum Arphaxadum 2, Arphaxadi ad Salachum *Genes. 11, 10. 12. 14. 16. 18. 20. 22. 24.*

lachum 35, Salachi ad Eberum 30, Eberi ad Phalegum 34, Phalegi ad Regumum 30, Regumi ad Serugum 32, Serugi ad Nachorem 30, Nachorisq; ad Tharachum 29, simplici tantùm additione. Anni ab Universali Diluvio usq; ad natum Tharachũ ultrò prosiliunt completi 222, qvi prioribus 1656 additi, componunt *Annos à condito Mundo ad natum Tharachum* 1878.

VII. Neq; Calculum ita deductum turbare vel leviculè quoq; valet *Cainan*, inter Arphaxadum & Salachum *à Luca insertus*, quippè cùm iste ex *LXX. Interpretum* Versione sit assumptus, nec à Spiritu S. sive in *Genesi* positus, sive in *Paralipomenis* etiam adjectus; ac si vel maximè connumerandus hic quoq; concedatur, Ætas ipsius in antecedentium Patriarcharum Annos digesta videatur.

Luc. 3, 35. Paralip. 1, 24. 25. 26.

IIX Hinc demùm *controversus* Chronologis est *Annus Abrahami Natalis*, qui etsi plerisq; placeat *Tharachi* 70.; à nobis tamen ex collatione Locorum *Mosaicorum* diversorum & reqvisito verborum *Stephani* in *Disputatione Chronologica* I. assertus est 130.: Qvi proinde connumeratus Annis Thesis VI. 1878, conflat *Annos ab initio Mundi continuos* 2008, qvibus tandem additi 75 Abrahami Anni, post qvos ad mandatum Domini ex Haran exiit, conficiunt *Annos à condito Mundo usq; ad susceptam ab Abrahamo Peregrinationem* 2083 *completos*.

Gen. 11, 26. Gen. 11, 32. & 12, 4. Act. 7, 4. Gen. 12, 1. 4.

IX. Hîc verò iterùm, ecce! Controversia surgit nobilis, à nemine, qvod sciatur, hactenùs animadversa, necessaria tamen atq; ad concinnandum ritè Calculum Chronologicum faciens vel maximè. Cùm enim *Filii Israel in Ægypto perduràsse* dicantur 430 *Annos integros*: Qværitur, unde hi debeant computari, an à migratione Jacobi in Ægyptum, num à modò signato 75. Abrahami Anno, an ab Anno ejusdem 85. vel alio qvocunq;?

Exod. 12, 40. 41. Galat. 3, 17.

X. Quòd autem *à Jacobi in Ægyptum descensu* numerari iidem 430 Anni omninò non possint, pulchrè profectò probeq; demonstrat solertissimus CALVISIUS præter alia *ex considerata rectè Mosis generatione*. Cùm enim *Moses* Populum educens fuerit 80 Annorum, & Parens *Amram* vixerit 137 Annos; Avus verò *Kahad*, qui unà cum Jacobo in Ægyptum descendit, compleverit

Isag. Chron. p. 143, 2. p. Exod. 7, 7. Gen. 46, 11. Exod. 6, 18. 20.

rit

rit Annos 133. Ex his qvidem, tametsi Anni, qvos habuêre, cùm generare cœperunt, non detrahantur, Anni emergunt non plures qvàm 350.

XI. Qvòd verò nec secundùm CALVISIUM celeberrimùm *à 75. Abrahami Anno* numerari iidem possint; facilè constare posse arbitramur ex Loco APOSTOLI, qvi *eosdem à Promissione Abrahamo data* rectissimè computat: At qvanam? Factam enim & hanc Patri Credentium à Domino *distinctis* fuisse *vicibus*, in aprico existit, nec à qvoqvam in Scripturis vel leviter versato negari potest. *Isag. Chron. p. 143, 1. m. & in Opere Chron. p. 6, 2. m. Gal. 3, 17.*

XII. *Primam* Promissionem Abrahamo fecit Dominus *Anno ætatis 75.*, qvòd *multiplicaturus foret ipsum, ac benedicturus in eodem Gentibus universis*: *Secundam paulò pòst*, qvòd *Semini ejus Terram traditurus esset illam universam*: *Tertiam post reversum ex Ægypto Abrahamum, atq; à Lotho separatum*, qvâ utramq; priorem denuò repetiit & confirmavit: *Qvartamq; post ereptum ex manibus Regis Kedorlaomor Lothum*, qvòd *egressurum ex utero suo habiturus foret hæredem Abrahamus*; cui tandem subjecit *Prædictionem de Semine ad 4 Secula in Ægypto mansuro*. *Gen. 12, 1. 2. 3. 4. Gen. 12, 7. Gen. 13, 14. 15. 16. Gen. 15, 1. 4. Gen. 15, 13. 16.*

XIII. *A Prima*, vel etiam reliqvis duabus, *Secunda, Tertiaq;*, Mansionis Israëliticæ Anni deduci neqveunt ideò, qvoniam in illis ne verbulum qvidem de Mansione illa invenitur diuturniore, multò minùs inde ipsum ejusdem initium congruè derivari poterit: Numerare qvippè tempus, qvod DEUS neq; revelavit adhuc, neq; ipse inchoavit, nec inchoari etiam voluit; aut revelatum quoq; anticipare, profectò est ridiculum, modò non absurdum & impium.

XIV. Accedit huc, qvòd Abrahamus ipse sicut Promissionem *ultimam* non intellexit de Semine sibi ex Sara suscitando, adeoq; opus habuit speciali, qvâ certus redderetur, Promissione novâ: Ita & Promissiones *tres priores* non accepit de Semine ex lumbis proditurо propriis, siqvidem cùm factæ illæ jam dudum essent, & conqveritur de Filio sibi denegato proprio, & de aliqvo cogitat Servi adoptitio: Qvomodo ergò commodè ab his *Gen. 16, 1. 2. 3. Gen. 17, 16. Gen. 15, 2. 3.*

dedu-

deducetetur Servitus illius sobolis, quæ tum neq; sperata, neque etiam cogitata?

XV. Relinqvitur ergò *Promissio quarta*, qvippè qvæ & *in Textu monstratur*, dum Abrahamo partim Posteritas γνησία promittitur, partim Servitus ejusdem diuturnior prædicitur: *Et ab* APOSTOLO *insinuatur*, cùm Abrahamum dicit DEO credidisse, & hâc fide justificatum esse; cumq; addit, *Legem post* 430 *demum à Promissione data promulgatam esse Annos.*

Gal.3,6.17.

XVI. Qvodsi verum, ut vel maximè est; Abrahamo autem Promissio illa facta est, *non* 75., *sed* 10. *demum pòst Anno*, siqvidem statim post acceptam hancce Promissionem, qvam antecessit *perlustratio Terræ Canaan, descensus in Ægyptum atq; hinc secutus rursus ascensus, à Lotho separatio ejusq; liberatio*, & eam qvidem indubiâ Servitutis gravissimæ prædictione nobilitatam, Sarai Ancillam Hagar tulisse, ac dedisse Abrahamo uxorem legitur, *cùm jam habitâssent in Terra Canaan Annos* 10: Eqvidem ultrò conseqvitur, Anno 75 10 istos jungendos, ac *Abrahamo factam eam esse Promissionem Anno* 85., hoc est, *à condito Mundo* 2093.

Gen.12,13. & 14. Gen.16,3. Gen.16,16.

XVII. Neq; enim ex Semissibus sive *Johannis Temporarii* sive *Sethi Calvisii* duobus, qvorum unus 215 Annorum ipsi Patriarcharum competat Peregrinationi, alterq; Servituti cedat Ægyptiacæ, solidi qvippiam inferri potest: Qvippè cùm illam 430 Annorum moram bisecuerit non Scriptura, sed ratio potiùs humana, qvæ per se αὐτόπιστος non est, sed tùm demùm acceptatur, cùm Scripturæ eadem vestigia premit; imò & mora in Ægypto excedere, non æqvare debeat ipsos Peregrinationis Annos, ut cùm à potiori fieri qveat denominatio, tum Israëlitarum in Ægypto infinita qvasi multiplicatio feliciùs præstari.

Chronol. Demonstr. lib. II. Cán.3.p.139. Isag. Chron. p.143, 1.f.

Manifestum videlicet ita Paradoxum est nostrum primum: Qvod ostendendum erat.

PARADOXUM II.

Exodi Israëliticæ Anni numerandi sunt non à fine, sed initio Exitus.

THESIS I.

Post certos hoc modo Annos ab ipso rerum primordio

usq;

usq; ad Exodum Israëliticam numerandos, deinceps usq; ad ædificatum à Salomone Templum manifestissima est vera Annorum numeratio, cùm expresse in eadem dicatur Historia, *Factum esse 480. Anno egressionis Filiorum Israël de Terra Ægypti, in Anno quarto, Mense Ziv, qvi est Mensis secundus, Regni Salomonis super Israël, ædificare Regem cœpisse Domum Domino DEO*: Adeò ut meritò supersedere possemus Paradoxi hujus assertione uberiore, ac utiliùs forsan ad alia pergere magis controversa. 1, Reg. 6, 1.

II. Sed qvia reperiuntur *Viri* aliqvi *Clarissimi*, qvi putant, eam ob causam, qvæ in seqvente patebit Paradoxo, *Annos dictæ jam Exodi computari debere* non ab Egressus initio, sed potiùs à fine sive *ab Ingressu in Terram Canaan subsecuto*: Ideò cogimur hîc quoq; Paradoxum istud nostrum asseverare, ne hoc incerto dubioq;, totus postmodum Epilogismus Chronologicus eidem superstructus vel corruere, vel ruinam duntaxat minari aliqvam velle videatur.

III. Neq; verò hic urgemus Consvetudinem illam sive *Scripturæ* sive *Historicorum Profanorum* universalem, qvâ *semper numeratio*, nisi expressa detur adjecta determinatio, *à rei cujuspiam gestæ principio deduci* solet; ut in *præcedentis Paradoxi Thesi V.* Exemplum habetur in Diluvio ostensum conspicuum: Idq; proptereà, qvoniam res illa suscepta qvaliscunq; non potest in momento expediri, sed latitudinem plerunq; aliqvam reqvirit; estq; ipsum qvidem semper certum initium, finis autem dubius atq; incertus.

IV. Neq; etiam urgemus Locum statim illum initialem, qvo perhibetur, *Mense tertio egressionis Israël de Terra Ægypti in Die hac venisse in solitudinem Sinai*; cùm Tempus hoc nimis sit Exodo ipsi propinqvum: Sed assumimus potiùs Tempora remotiora, atq; ex illis demonstramus, Exodi ejusdem ab initio legitimam computationem rectissimè deduci. Exod. 19, 1.

V. Initiò ergò cùm dicitur *locutus Dominus ad Mosen, in deserto Sinai, in Tabernaculo Fœderis primâ Die Mensis secundi, Anno altero egressionis eorum ex Ægypto*; sanè expresse monstratur, Num. 1, 1.

Annos ab Egressus numerari exordio, qvippè cùm finis post 4 demùm imminuerit fermè Annorum Decades: Aut num per *περίληψιν* qvandam Historicam numeratio hæc salvanda erit, ut ab Egressus fine Anni numerentur, qvi tamen nondum contigerat? Neq; verò hoc vero est simile.

Num. 9, 1. Num. 10, 11. VI. Deinde cùm iterùm *Dominus ad Mosen locutus dicitur in deserto Sinai, Anno secundo, postqvam egressi sunt de Terra Ægypti, Mense primo*: Et, *Anno secundo, Mense secundo*, 20. *Die Mensis, elevata est nubes de Tabernaculo Fœderis*; nonnè rursus manifestè monstratur, numerationis hujus initium figi debere in Egressus istius principio, non in fine, cùm longissimè adhuc hic absfuerit? An potiùs Scriptori Mosi, imò Spiritui S., iterùm incongrua illa assignabitur Numeratio *περιληπτική*? Absit verò! Absit!

Num. 33, 38. 39. VII. Præterea qvando perhibetur *mortuus Aaron Anno* 40. *egressionis Filiorum Israel ex Ægypto, Mense qvinto*, 1. *Die Mensis, cum esset Annorum* 123: Rursus profectò manifesta est numeratio ab initio Exodi deducta; cùm finis nondum tunc institerit, multò minùs 40 ab eodem Anni congruè numerati qveant perhiberi. Num enim ab eo, qvod nondum vel datur vel etiam scitur, numeratio fieri commoda valet? *Ζήτημα* profectò *μέγα καὶ ἀδύνατον*.

Deut. 1, 3. IIX. Neq; verò insuper urgemus illud, qvòd 40. *Anno, undecimo Mense*, 1. *Die Mensis, locutus Moses ad Filios Israël dicitur*: Quippè cùm in propatulo qvidem sit, Annos & hîc ab Exodo numeratos intelligi, ipsa tamen Exodus expressè adjecta non habeatur; ex dubiis autem incertisq; non possit necti Demonstratio vera & firma.

Jos. 5, 6. IX. Sed assumimus potiùs Locum hîc illum, qvo 40 *Annis Filii Israël in deserto ambulâsse* memorantur, *usq; dum consumeretur tota gens Virorum bellatorum, qvi egressi fuerant de Ægypto, qvi noluerunt obedire voci Domini*. Qvid enim Loco hoc esse qvit manifestius? Videlicet & Tempus ab Egressu apertè numeratur, & causa Peregrinationis tàm diuturnæ ac molestæ unà referatur, qvæ suscipienda fuit, anteqvam in Promissam Terram subseqvi possit

possit

posset Ingressus, qvi tùm & anxiè optabatur, & qvotidiè sperabatur.

X. Notamus qvoq; ultimò verba *Calebi, ad Josuam* Ducem hâc protestantis ratione: *XL Annorum eram, qvando misit me Moses famulus Domini de Cadesbarnea, ut considerarem Terram,* &c. Et: *Concessit ergò Dominus vitam mihi, sicut pollicitus est, usq; in præsentem Diem: XLV Anni sunt, ex qvo locutus est Dominus verbum istud ad Mosen, qvando ambulabat Isràël per solitudinem, &, ecce! hodiè 85 sum Annorum.* Ubi similiter expressè numerantur Anni 45 à missione Calebi, qvæ Anno statim secundo Exodum secuta, quæq; facta Anno ætatis Calebi 40., cui juncti 45 à Calebo misso, dant ætatis illos 85 Annos. An autem non constat, hoc etiam Tempus Israëlis in Promissam Terram Ingressum antecessisse, atq; ideò computari ab eodem ritè vereq; non posse? Jos. 14, 7, 10. Num. 10, 11.

XI. Ex quibus omnibus seqvens jam texitur Demonstratio: *Qvæcunq; numeratio jam semel est inchoata, ac deinceps semper usurpata & sedulò continuata; illa nec in posterum temerè & absq; vestigiis expressis venit vel abroganda vel neganda: Talis est computatio Annorum ab Exitus Israëlitici principio, non fine, deducta: Ergò eadem non potest esse sublata vel temerè negata.* Major ex principiis Chronologicis est certa: Minor in antecedentibus nunc Thesibus evicta: Patet ergò, qvod fuit propositum.

XII. Libenter enim nunc silentio involvitur absurditas illa, non levicula, fortiterq; Principia cùm Chronologica tùm Historica convellens, qvæ *duplicem* istam conseqvitur *numerationem, unam ab initio alteramq; à fine* deductam, à Spiritu interim S. nullibi vel uno verbulo saltem insinuatam, dum absq; manifesta qvapiam notatione duplex παράπηγμα αἰῶ' ὃ ipsi Annorum ab Exodo numerationi præfigitur simplici: Qvippè cùm absurdum etiam Sacris Literis imputare vel minimum, aut imputandum etiam cogitare, absurdorum profectò omnium sit absurdissimum.

XIII. Neq; equidem Demonstrationem hanc nostram infringere ullatenus potis leviculum illud, qvod opponitur ex DEUTERONOMIO, qvoq; cùm dicatur initiò *locutus ad Israëlitas* Deut. 1, 3. Deut. 4, 45.

litas Moses Anno 40., mox subjungatur testimonia illa singula locutus ad Filios Israël, *qvando egressi sunt de Ægypto*: Ubi sanè Annus ab Exodo 40. ipsi qvasi egressui inseparabiliter annecti videatur, atq; sic innuatur satis, numerationem Annorum illorum à fine, non initio Exodi derivari debere.

XIV. Ut enim hoc qvidem nunc non regeratur, juxta Regulam Theologorum Catholicam unius Loci obscuritatem opponi malè tot clarissimorum Dictorum perspicuitati; sanè cuivis ultrò conspicuum, falli interpretis Latini Phrasi, *Qvando egressi sunt de Ægypto*, qvæ in Fontibus notatur Infinitivo Bachlamico בְּצֵאתָם à Radice יָצָא, & exponi debet juxta proprietatem Hebraicam de *Præterito Tempore per Plusqvamperfectum*, adeò ut rectè LUTHERUS reddiderit, Da sie aus Egypten gezogen waren.

XV. Imò & *sibi ipsi contradicere* qvasi videntur, qvi ejusmodi propugnant Instantiam. XL. qvippè Annum ab Egressu cùm numerari dicunt conceduntq;; eqvidem obtinere non possunt, XL. illum Annum haberi pro ipso egressionis momento, sed utrâq; mox nobis largiuntur manu, Epocham illam Exodi figendam esse in primo Exodi exordio, à qvo & 40 illi computantur Anni.

XVI. Et ponatur sanè ac retineatur Interpretatio Latina, *Qvando egressi sunt ex Ægyto*: Qvid autem exinde pro Annis à fine numerandis deduci potest roboris? Annon enim cùm Moses Præcepta hæc proponeret, Israëlitæ jam erant ex Ægypto egressi, & jam per 40 Annos in deserto morati? An verò hærebant ii adhuc in Ægypto? Hoc autem Hypothesi contradicit propriæ: Illud verbis congruit Mosaicis. Itaq; congruentia hæc jure retinetur suo: Discrepantia verò illa & contradictio seponitur meritò atq; rejicitur.

Patet nimirum ita & Paradoxum nostrum secundum: Qvod propositum erat.

PARA-

PARADOXUM III.

Anni Judicum seu Libertatis Israëliticæ includunt plerunq; Annos Servitutis; non excludunt, ita ut hi peculiariter numerati, illis veniant conjungendi.

THESIS I.

ETiam hujus Paradoxi assertio prolixior per *Thesin I. Paradoxi antecedentis II.* foret supervacanea, propter annos hosce per Exodi Israëliticæ Epocham jam remotos atq; eidem involutos: Qvippè si *ab Exodo Israëlitica ad ædificatum Templum Salomonicum elapsi sunt Anni* 480; qvid opus est inqvisitione in Annos vel Libertatis vel Servitutis operosiore? An Spiritus S. Calculum vel negare libet, vel impugnare ac in dubium vocare? 1. Reg. 6, 1.

II. Verùntamen hujus etiam Paradoxi necessitatem genuit nobis *Celeberrimorum* qvorumpiam Opinio *Virorum*, qvi *Loco* freti *Apostolico*, καὶ μετὰ ταῦτα, ὡς ἔτεσι τετρακοσίοις καὶ πεντήκοντα, ἔδωκε κριτὰς ἕως Σαμουὴλ τοῦ Προφήτου, putant, Annos Servitutis ipsis Judicum ac Libertatis Annis connumerandos esse, cùm aliâs ex Annis Libertatis nudis tot pro Judicibus Anni colligi non possint. Act. 13, 20.

III. Ne igitur hæc quoq; sententia calculum turbet Chronologicum; propterea libet hîc unà statim, non sanè contradicendi studio, sed Veritatis tantùm amicæ ergò, demonstrare, Annos Servitutis plerunq; cohærere ipsis Judicum ac Libertatis Annis, neq; Tempus constituere à Libertatis Tempore peculiare: Neq; eqvidem hîc prolixè *Sententiam Chronologorum* fermè omnium hac in re urgebimus *unanimem*, sed Paradoxum potiùs nostrùm ostendemus per qvandam cùm ἀνάλυσιν tùm σύνθεσιν.

IV. Ἀναλυτικῶς enim atq; per ἀπαγωγὴν εἰς ἀδύνατον si ostendere illud placuerit; eqvidem assumantur illi 450 *Anni ex Actis*, qvibus *juncti* 40 *Saulis*, 40 *Davidis* & 3. *Salomonis*, componunt Act. 13, 21. 1. Reg. 2, 11. & 4, 1.

-nunt 533 *Annos*: Qvi *absurdi*, & *contra Locum Canonicum* clarissimum, in Thesi I. præsentis ac præcedentis Paradoxi jam positum; ut jam non urgeamus *Paradoxum nostrum antecedens*, sed ponamus & assumamus cum contradicentibus Annos ab Exodi fine numeratos.

V. Συνθετικῶς verò asseverari idem haud difficulter potest ex Locis Scripturæ variis, ac initiò qvidem *ex generali* illa totius *Libri Judicum Summa*, qvâ dicitur *Dominus suscitâsse Judices, qvi liberarent Israëlitas de vastantium manibus, qvos tamen audire noluerint, fornicantes cum Diis alienis, adeò ut fuerint traditi diripientibus novis usq; ad Judicem suscitatum alium*: Ubi cùm Populus à Servitute liberatus, nec obediens Judici, in Servitutem traditus perhibeatur aliam; annon conjunguntur expresse Anni Servitutis Judicumq; vel Libertatis?

Jud. 2, 16. 17. 18. 19.

VI. Deinde idem adstruit *Prophetissa Debora*, qvæ *judicâsse* memoratur *Israëliticum Populum per 20 illos Annos, qvibus affligebatur ille à Jabin Canannæorum Rege*: Si autem *tùm judicium super Israel exercuit*; qvod expresse dicitur: Num post Libertatem demum Populo reparatam judicare cœpisse contra ipsam verborum perspicuitatem existimabitur? Absonum hoc est atq; absurdum.

Jud. 4, 3. 4.

VII. Probatur insuper illud *ex subsecutis post Gedeonem Judicum trium, Abimelechi, Thola & Jairi, gubernationibus qvietis* omnibus, qvorum *ille 3 præfuisse Israeli* perhibetur *Annis, iste 23*, atq; *hic 22*: Ubi autem hîc peculiares Servitutis Anni? Ubi certus Annorum Afflictionis ἐπιλογισμός? Nempè manifestum est indicium, hos tanqvam Annis Judicum ac Libertatis, vel contrà, cohærentes connumerari, non peculiariter supputari debere.

Jud. 9, 22. & 10, 2. 3.

IIX. Confirmat præterea idem *Jephthes Gileadita*, qvi *cum Ammonitarum Rege* de Terra *expostulans* promissa, *Israelem per 300 Annos in Terra Canaan absq; jurgio habitâsse asseverat*: Colligantur jam Anni Judicum nudè, & colligantur etiam cum Annis Servitutis; patebit, si pro regimine Josuæ assumantur cum *CL. Origano* 18 Anni, conflari *illinc* 284 *Annos*, *hinc* 337, qvi posteriores

Jud. 11, 26.

Parte I. Ephem. cap. 1. § 11.

riores malè congruunt Numero Jephthæ rotundo 300 Annorum.

IX. Adstruit deniq; illud ipsa etiam *Samsonis Historia*, qvi cùm *Philistæi Israelitas* jugo servitutis *premerent per Annos* 40, in eo ipso afflictionis tempore natus, posteaq; *Judicis officio per* 20 *Annos functus* perhibetur: Ubi sanè aperta ita est afflictionis & libertatis conjunctio, ut contradicere sanus nemo possit. Iud 13,1.24 Iud. 15,20. 16,31.

X. Ex qvibus tandem omnibus ita cum Calvisio concludimus solertissimo: *Qvalis est in allegatis Historiis Afflictionum & Liberationum Israeliticarum computatio, talis etiam est in cæteris: Sed monstrata jam est in illis conjuncta earundem computatio: Ergò eadem in cæteris qvoq; agnoscenda & concedenda erit universis, nec temerè aversanda.* Detur enim, si potest, ratio aliqua evidens Calculi aliter instituendi ac deducendi. *Manifestum nempe sic est Paradoxum etiam nostrum tertium: Qvod asseverâsse oportebat.* Isag. Chron. p. 149, 1. m.

XI. Locum enim qvod concernit *Apostolicum*: Eqvidem si non cum *B. Luthero in Glossis Marginalibus & CL. Arculario* censendum sit, Numerum esse à Librario corruptum, ac pro τριακοσίοις ἔτεσι mendosè substituta τετρακόσιοις; saltem *cum Chronologis* dicimus, positum haberi *Numerum pro vero rotundum*, qvem innuit proposita *Particula* ὡς, qvæ adjecta nunqvam designat Numerum præcisum, sed ubiq; Platicum atq; cum latitudine aliqva haud exigua assumptum. Comment. in Acta Apost. p. 493.

XII. Itaq; ut concludamus, qvoniam satis ita superq; ex *duorum horum Paradoxorum posteriorum* apparet *ostensione*, Annos Mansionis Israeliticæ 430 ab 85. Abrahami Anno completo numerandos esse, atq; ab Exodo usq; ad Templi ædificationem computandos Annos 480 integros; idcircò si 910 *hi Anni* prioribus *Thesis XVI. Paradoxi I.* 2093 fuerint adjecti, component *Annos à condito Mundo ad ædificatum à Salomone Templum* 3003: Qvos investigâsse propositum erat.

Tantum est:

SOLI DEO SIT GLORIA.



Ad Præstantissimum & Doctissimum

Dn. RESPONDENTEM

conterraneum, contubernalem & amicum dilectum.

Est honor insignis, virtus quoq; mascula, si quis
Audit Theologus, Philosophusq; bonus
Hæc duo tu pariter conjungis docte *VVEDOVI*
(Quod satis ostendit pagina culta mihi.)
Tempora perpendens, dũ publica pulpita scandis,
Examenq; χρόνων sustinuisse cupis.
Hinc dignis posset mea te mactare Camœnis
Calliope, & nisus concelebrare tuos
Sed quid opus multis? hæc DISSERTATIO docta
Collaudat nomen, suavis amice, tuum
Pergito! Theologiam, Sophiam quoq; dilige, quondam
Præmia sic Sophiæ, Theologiæq; feres!

Hieronymus Brenneccius
Tönningensis Eidero-
Holsatus.

FINIS.